


COLAI
PERA.
US V.


Vacandum Studiis.
Ex Bibliotheca
VALENTINI SCHLIEFF
Gedani.

Henrici Nicolai

1. Theologia Epitome.
2. Exercitatio de Methodo Trinitatis.
2. b. Rotgeri zum Bergen Epistolium ad Henricum Nicolai.
3. Exerc. de Medio Religioso et Theologico.
4. Ex. de Conciliatione Enunciatorum.
5. Miscella Theologica.
6. Ex. de non liquendo.
7. Irenicum defensum et explicatum.
8. Irenicum defensum et explicatum continuatum.
9. Exercitatio de Ahasvero Esthera.
10. Exerc. de Symbolo Athanasii.
11. Erklärung der Schrifft im Prediger Salomo IV. 4.
12. Tractatus de Pace, Editio emenda.
13. Protestatio super nova Editione Tractatus de Pace.
(14. Georgii Rhetii Viduae Reprotestatio antecedenti Protestationi opposita)
15. Protestatio defensa.
16. Oratio de Philosophiae Studio cum Theologia conjungendo, praemisso Programmate.
17. Cursus Philosophicus.
18. Exercitatio de Subjecto et Adjuncto.
19. Exerc. de quotidiana Telluris revolutione.
20. Ex. de Astrologiae Veritate, licitaque apud Christianos ratione.
21. Tr. de Modis praedicandi.
22. Tr. de Comparativarum Enunciationum expositione.
23. Rotgeri zum Bergen Res Sacra Amicus sive Epistolium ad Henricum Nicolai.
24. Godofr. Zameli Hymenaei Tumulus.

RES SACRA AMICUS.

SIVE

EPISTOLIUM

OLIM SCRIPTUM,

AD

Clarissimum, ac Excellentissimum Virum, D.

HENRICUM NICOLAI

Theologum ac Philosophum eximium, Profess:
Publicum.

Quod non
De vana ac Domi notâ sibi Causâ jam publicandum
censuit

ROTGERUS zum Bergen/
Regius Secretarius.

Anno, quo multi habent ambas aures, sed fronte carent.

Dies singularis etiam in fine positus.

REGIOMONTI,
Ex Typographia Paschalis Mensenij.

S. & O.

CLARISSIMUM CAPUT, D. HENRICE NICOLAI.



Xpetis, candidè Tibi aperiam quemnam sermonem præteritâ æstate in horto meo cum Celeberrimo Theologo D. Mislenta ultro citroq; de Te sociaverimus. Non causa mihi, cur, Optime Amicorum, hîc Tibi obsequentiam non faciam. Quare omnia Tecum antiquâ nec selectiori fide communico. Si etiam usus & opus sit, super hoc ipso juramenti religione ac vinculo nos adstringere, sanctamque Uniternitatem attestari, non afformidamus: quanquam existimem, neminem Doctiorum ex facili inventum iri, qui nostrum testimonium furcillandum arbitretur. His autem verbis apud præfatum Dominum Theologum exorsus: Her Doctor es fallen allerhand judicia und discursen von Herren Henrico Nicolai: der H. Doctor sage mir doch rotundè & candidè, was er von diesem Man halte / solt man ihn wol/ wan ers suchte und begehrte alhie ad gradum Doctoris Theologiæ zulassen. Respondebat: Er ist ein hochgelarter Man und acutus Philosophus, und schon von vielen Jahren Doctormässig gewesen/ und sehe ich nicht/ wie mann ihm den gradũ Doct. abschlagen und verwegern könte modò bonâ fide juraret in Augustanam Confessionem, formulam

concor-

concordiæ, & libros nostros symbolicos, mox attexebat: Ich habe viel gelerte gelesen / die de causa per accidens, geschrieben haben / aber keiner gefält mir besser / und contentiret mich mehr.

Non possum quin huc etiam accersam R. P. Johannis Kühn è Societate Iesu Theologi judicium, quod tale de Te tulit:

Ego istius Vestri Henrici Nicolai scribta libenter lego, reliquorum vestrorum Theologorum, ex maxima parte sunt luxuriantia & tinnula. Hujus vestri Nicolai, licèt sit Hæreticus, & noster adversarius, scribta sunt arguta; hoc facit, quia bonus est Philosophus. Nemo vestrorum Theologorũ contra ipsum cum laude scribet. Inimici laus non est parvifacienda.

Adijcio alterius cujusdam doctissimi Viri de Te ac Tua doctrina censuram, cujus nomen invidiæ ab ipso defendendæ non adstituimus, sed literas sat tersas ad verbum, quà ad negotium hoc attinent, non ingratijs nostris exprimimus:

Unum officium addo, dum gratias ago & habeo pro viri emeritæ literaturæ D. H. Nicolai de bonis operibus tractatu, & quæ huic annexa, nec non Epitome Theologiæ, in tantùm delector lectione, tam accuratorum, quàm modestiâ plenorum scriptorum. Varietatem horum quoties volvo: capacitatem humani ingenij non tam miror, quàm viri multijugam lectionem, cui an vita humana sufficeret, non immeritò quis dubitaret. De tanto Viro ergo (quod Seneca de Græcis dicebat: sese non mirari, quæ Græci scirent, sed quæ nescirent)

ſtatuo apud me: Ampliùs me non admiraturum, quid D. Henricus Nicolai in omni literaturæ genere præſtiterit, ſed quid non præſtiterit.

Poſſem etiam famigeratiſſimi Profeſſoris in Academia Electoris Saxoniæ judicium huc adferre, ſed cui bono? ſcripta publicata potiùs exigant & ponderent, qui Te nôſſe cupiunt; Ubi ex linea Apellem, ex fimbria veſtem, & ungve Leonem æſtimârint. Si Virum illum nominarem, fortè illi apud alios livoris alumnos, propter hanc judicij ingenuitatem, non levis otij tempeſtas oboriretur, tali nunc vivitur ævo, ut aurea libertas in cenſendo jam peſſimè audiat & vapulet.

Prodeat tandem Tuus de *Trinitate* tractatus, ut videant Ariſtarchi, quàm Photinianorũ partibus faveas. O ſi multi, quibus Syllogiſmi ſunt in dorſo, recordarentur iſtius veteris: *Ne ſutor ultrà crepidam.* Non ſic Troilus Achilli bellum indiceret. An quia non Elephas es ſtaturâ, nec octipedis corporis mole ſpectandus, quali Magnus Chriſtophorus paſſim pingitur; ideo tibi pro cerebro caput braſſicâ capitatâ, aut pulte avenariâ oppletum eſſe, concludatur. An ideò veræ ſapientiæ tam dives ſis, quàm durior ſilex niveo lacte abundat? Ichneumon vaſto Crocodilo exitialis eſt, nec ſemper prævalidi art9 ingenij pollentiam ac ſublimitatem adſeverant.

Scribas, mi Ocelle, ut cœpiſti, bono ac laudabili ordine, nec more multorum, qui omnia ſic ordinant, ac Methodo tam accuratâ includunt, ut citiùs horridam pungentium ſpinarum texturam ad ſua initia, quàm ipſorum medi-

tamenta

tamenta reductum eas. Magnam Orexin, mi Nicolae, excitasti cordatioribus, quam scribtorum Tuorum dapib9 sedare ac consepelire, constanter studebis. In magnis voluisse, Probitati semper acceptissima res est, ac rarò eximij momenti negotia primis tentamentis optimè progrediuntur. Utinam multi, quomodo Tarquinius summa papaverũ baculo decusũ ivit, sic sese exsertantia maleferiatorũ affectuũ capita demetere anniterentur, nec ijs nimiam habenarum laxitatem permitterent: maiori certè tranquillitate extra omne turbidum positi, gauderemus. Sed cum hoc jam non curetur, verum esse advertimus; ægra nunquam sine querelis attrectari, ac animos malè-sanos, propter res vel levissimas mirum quantum excandescere tantũq; non in rabiem prolabi. Quare Tibi ac Tui similibus in omnia præmittendus est animus, & solertiùs considerandum; non solùm quid fieri soleat, sed & fieri possit. Haud Te â laudabili Rempublicam literariam & pietatis regnum illustrandi amore nigra invidies amoneat & amoveat. Qui hodie omnibus non tritam, sed tamen rectam viam in sapiendo insistit; æs non triplex, sed minimùm sextuplex circa pectus ac exquisitissimã habeat patientiam, oportet. Animus Dei æmulator supra hæc talia & quævis humana se attollere novit, qui animosissimè sperat, cùm omnem spem etiam emortuam ac funeratam esse advertit. Tu, mi Nicolae, uti superius jeci, pergas scribtis ordini literato prodesse, Homines Latinum Kappa merentes & dignos,

quî notâ ex lege Memmia ſive (ut alij malunt) Remnia nobilitentur, ſecurus obaudi, ac generoſitate Tui ſilentij porrò hos innocentiæ alienæ depopulatores ulciſcere. Cu etiam contendas cum illis, qui nomen ſuum non profeſſ Te adoriuntur, ac perſonati clam impetunt: quibus, ſi ir rem veniretur, ſangvis tot9 procul dubio refugeret, ac Te ve adſpicientes, tremulo metu mox exalbeſcerent. Qui fiduciam ingenij ſui habent, ac veritatis non incerti ſunt; ill non tectâ fronte cum adverſarijs concurrere, ſed apert Marte bellare amant. Plebeis atque exilibus ingenijs raro conſtantia ac animoſitas inſidere conſvevit. Plura mitto. Tu, ubi occaſio tulerit, omni morâ ſequeſtratâ, Tuarun cupidè cupido reſcribe. Vale, ut ego valeam. Mitt etiam Epigramma Tractatui Tuo de Trinitate, quem ſu prælo jam congemere inaudio, præfigendum: niſi Tu hi diſſentis, & Tibi officium, quod ſponte lubens defero diſplicet. Vale iterum.

Nova addo: nonnullorum fides politica apud nos incedere incipit, ut multorum corpora, dum illa librantur, non in æquas partes vergunt. unico verbo: *Claudicat* Hanc rem in tractatulo non prorſus inſubido, cujus inſcribtio erit. *non credo ſigillis*. fuſius ediſſertabimus, ubi verita tectè, ut caro in artocreâte apponetur.

Tuiſſimus

R. Z. B.

EPIGR.

EPIGRAMMA
IN TRACTATUM
DE TRINITATE,
D. HENRICI NICOLAI, &c. &c.

DE Te non timidè persepè calumnia sparsit:
　Quod Tu Photini dogmata tetra colas.
Talia qui fantur digni, qui fuste volemo
　Ungantur, vero cùm absona cuncta sient.
Hoc scribtum præsens quisquis pervoluerit aptè:
　Mox aliter de Te sentiet ille mihi.
Ex voto felix floccati Nestoris annos
　Vivas, ac Bergì sis memor usque Tui,

S. P.
LECTORI, LECTIORI.

QVisquis es, hoc non nescias, me hæc Publicæ Famæ campo stitisse non aliquam apud Summates hujus nostræ Borussiæ, Cl. Viro D. Henrico Nicolai, benevolentiam ex falso exprocandi gratiâ. Quis ille sit, & quas dotes sub fornice mentis circumgester, satis edita scribta ebuccinant: nec est, cur conditionem suam non illautam in Illustri Republica Elbingensi fastidiat Vir suâ sorte ex facili contentus. Si autem DEO visum fuerit, ipsum ad ma-

jora

jora administranda aliò evocare, minimè hæc impediverint, qui omnem caritatem pedibus prosubigentes, omni modo bonis nocere moliuntur. Deus calumnias, cùm vult, quidem permittit, sed simul etiam quò vult, dirigere solet, alium quàm malities sibi scopum habens præfixum. Sycophantæ non rarò illorum virtutes, quibus obesse prægestiunt, reddunt conspectiores, atque ex abscondito protractas cordatiorum oculis devorandas exhibent. Quibus, inquam, livor bonam mentem quasi incantamento expectoravit, illi à se læsorum cõmodis accelerãdis, sic manũ vel nescij frequenter præbitant. Ingenuè etiam contestor, me nulli9 alteri9 famam hîc limâsse, sed generatim non specitim hæc consignasse, virginem Amici famam ab injurijs quorumvis asserendi gratiâ. Vale.

TANTVM EST.

Dabam Die, quo multi non audent, quod avent:
& esuriens curat Ouile Lupus.





